Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift



suis mysteriis exponit. Unde recte terminus
gessuri & machati subditur: quibus uetus ac
nouum testamentum exprimitur. Gessuri
enim iuxta lumen meum interpretatur: quo
uetus testamentum. dei cognitioni proximum fi
guratur. Machati mollitus meus. uel uenter
cesus dicitur: quo nouum testamentum expri
mitur: quod remissione sancti spiritus mollitur: quo
memoria hominis ceditur. De hoc enim uen
tre IEREMIAS queritur. Ventrem meum
doleo. uentrem meum doleo. Per omnem montem
hermon. qui anathema dicitur: futuri iudi
cii sublimitas exprimitur. in quo electorum ac
reproborum separatio peragitur. Et uniuersa basan
usque salecha. omne regnum og in basan. qui
regnauit in astaroth & hedrai. ipse fuit de
reliquiis raphaym. Per uniuersam basan. que
pinguedo interpretatur. dilectio xpi com
mendatur. que per oblationem mortis. huma
ni generis redemptione inpinguatur.
Basan usque salecha tenditur. que leuans ue
nit. uel tollens uenit dicitur. quo xpi re
surrectio uel ascensio exprimitur. qui le
uans mundi redemptionem. uenit ad re
surrectionem. tollens inferni captiuitatem.
uenit ad ascensionem. Uniuersa basan & sa
lecha. omne regnum og esse scribitur. qui
excludens dicitur. per quem ipse xpc exprimi
tur. cuius incarnatione. passione. resurre
ctione. & ascensione. mortis imperium ex
cluditur. Og rex in astaroth regnat. quod
caule. presepia. ouilia. uel atria sonat. quia
xpc in ecclesia regnat. quam horum nominum
significatio denotat. Caule enim eos qui
ante legem. presepia eos qui sub lege. oui
lia eos designant. qui sub gratia ecclesie unita
tem fide & dilectione inhabitant. Atria
celestis regni mansiones exprimunt. que in sor
tem hereditatis illis in futuro proueniunt. qui
ecclesie unitatem fide & dilectione in presenti
custodiunt. Og rex basan in edrai regnat. que
descensio pastorum sonat. quia ubi pastores de al
to contemplationis. ad uerbum predicationis
descendunt. ibi in corda auditorum xpm intro
ducunt. Ipse og de reliquiis raphaym esse scribi
tur. quod gygans. uel medicus dicitur. quia
xpc geminae gygans substantie. uerus fidelium
animarum medicus suo sanguine efficitur. Moy
ses eos percutit & delet. quia scriptura ueteris
testamenti quam moyses exprimit. quia ipse ei ex
ordium tribuit. mysteria redemptionis tan
git in littera. delet in allegoria. Quod enim delet.
oblitteratur. sic prefigurationes ueteris testamen
ti delentur. cum mysteria redemptionis perfi
ciuntur. Nolunt dispergere filii israhel gessuri
& machati. quia ueri israelite noluit corrumpere scrip
turam ueteris ac noui testamenti. In medio israel
habitant. quia fideles xpi utriusque testamenti
auctoritate se muniunt & roborant. Usque in
presentem diem. usque in eternitatis diem. quem semper
per oculis oportet habere presentem. Tribui leui
moyses non dat possessionem. quia sancta scriptura
continentium ordini presentis seculi non concedit de
lectationem. Leui enim assumptus uel additus di
citur. per quem continentium ordo exprimitur. Sed
sacrificia & uictime domini dei israel. ipsa est heredi
tas eius sicut locutus est illi. Sacrificia domini. sunt
continentie labores. uictime domini. sunt oratio
nes. & meditationes. Ipsa est hereditas eius.
sicut psalmista. portio inquit mea dominus. Sicut
locutus est illi. commendans ei dilectionem
sui. per omnes paginas utriusque testamenti. Sequitur.

Dedit ergo moyses possessionem tribui
filiorum ruben. iuxta cognationes suas.